

tentes despicit, quia mali sunt; si quem viderit timere Deum, licet pauper sit, tamen illum glorificat. « Qui » jurat proximo suo, et non decipit. Et hic proximum similiter debemus accipere, ut supra.

VI. « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram<sup>1</sup>. » Multa sunt quæ dicantur, sed hora excludimur. Quoniam autem nudius tertius de principio cat<sup>2</sup> hæc eos diximus, et propitio Deo de Chaldæa egressi estis cum Abraham<sup>3</sup>, et meministis quæ dixeramus, quomodo egressi estis de Chaldæa, et venistis in terram promissionis. Denique et Abraham postquam venit in terram promissionis, hinc inde adversarii erant, hostes terram tenebant; venit Dominus, et educit eum foras, et ponit in montem, et ostendit ei universam terram, et dicit, « Hæc omnia tibi dabo et » semini tuo<sup>4</sup>. » Illi promisit, nobis redditurus est.

<sup>1</sup> Psal. xiv, 5. — <sup>2</sup> Forte Catecheseos. — <sup>3</sup> Gen. xi, 31. — <sup>4</sup> Id. xii, 15.

## S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

### SPECULUM.

#### PRÆFATIO.

Quis ignorat in Scripturis sanctis, id est, legitimis, prophetis, evangelicis et apostolicis, auctoritate canonica præditis, quædam sic esse posita, ut tantum scirentur et crederentur, ut est quod « In principio fecit Deus coelum et » terram<sup>2</sup>, » et quod « In principio erat Verbum<sup>3</sup>, » et quæcumque facta divina vel humana tantummodo cognoscenda narrantur: quædam vero sic esse jussa, ut observarentur et fierent, vel prohibita ne fierent, ut est, « Honora patrem et matrem<sup>4</sup>? » et, « Non mœchaberis<sup>5</sup>; » horum autem quæ jubendo et vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysteriis, quæ multa Veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque a populo christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur; sicut est sabbatum ad visibilem vacationem<sup>6</sup>, sicut azyma in pane sine fermento, Pascha in ovis occisione; sicut tot genera sacrificiorum ciborumque vitandorum, et neome-

<sup>1</sup> Scriptum sub annum Christi 427. — <sup>2</sup> Gen. i, 1. — <sup>3</sup> Joan. i, 1. — <sup>4</sup> Exod. xx, 12. — <sup>5</sup> Matth. xv, 4, et v, 27. — <sup>6</sup> Deut. v, 12.

niæ<sup>1</sup>, et annuæ solemnitates, quas observant nunc usque Judæi; et illæ justificationes, quæ non ad opera justitiæ propriæ pertinent, sed aliquid significare intelliguntur. Quis enim Christianus septimo anno cogitur servum reddere liberati<sup>2</sup>; et si discedere ille noluerit, ejus auriculam subula pertundere ad postem, et cætera hujusmodi? Alia vero etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita; qualia sunt illa quæ dixi: « Honora patrem et matrem, » et « Non » mœchaberis. » De his igitur quæ ita sunt posita in Litteris sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est, tempore Novi Testamenti ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi componere aggressus sum: ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis Libris colligam, atque ut facile inspicere possint, in unum tanquam Speculum congeram. Oportuit enim sic ea poni ab auctoribus nostris, quemadmodum posita sunt, ut præcepta narrationibus vel disputationibus propriis figurata, et figuratis propria miscerentur, dum rerum gestarum ordo servatur, aut respondetur adversis, aut qui docendi sunt instruuntur, aut occultorum inventionem quodam modo renovantur hi qui prompta et aperta fastidiunt: nos autem in hoc opere nec infidelem vel adducimus vel ædificamus ad fidem; nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium; sed eum qui jam credens obedire Deo voluerit, ut hic se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit, attendat. Sic enim potest et de his quæ habet gratias agere, et de his quæ non habet ut habeat satis agere, ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere. In his

<sup>1</sup> Exod. xii, et Num. xxviii, 16, etc. — <sup>2</sup> Id. xxi, 2 et 6.

autem omnibus, quæ inspicienda ponere institui, quæcumque inter se videbuntur esse contraria, postea propositis quæstionibus exponenda atque solvenda sunt. Sane supplicia malefactorum, et præmia recte factorum, quamvis nonnulla commemoranda existimaverim, tamen in Novo Testamento dissimilia veteribus esse quis nesciat? Ab ipsa igitur Lege quæ data est per Moysen<sup>1</sup>, divinorum præceptorum, qualia nos commemoraturos esse promissimus, aggrediamur exordium.

## DE LIBRO LEGIS,

### QUI EXODUS NOMINATUR.

Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in caelo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles<sup>2</sup>. *Item*: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. *Et paulo post*: Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus: non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt<sup>3</sup>. *Item post Decalogum aliis in locis, hæc in eodem libro reperiuntur præcepta vivendi*: Non facietis mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis<sup>4</sup>. *Et aliquanto post*:

<sup>1</sup> Joan. 1, 17. — <sup>2</sup> Exod. x, 4-7. — <sup>3</sup> Ibid. 12-17. — <sup>4</sup> Ibid. 23.

Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum quo fugere debeat. Si quis de industria occiderit proximum suum per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percussit: ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga et mortuus fuerit in manibus ejus, criminis reus erit: sin autem uno die supervixerit vel duobus, non subiacebit poenæ; quia pecunia illius est. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum expetierit maritus mulieris, et arbitri judicaverint: sin autem mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, et luscus eos fecerit; dimittet liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo, aut ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. Si bos cornu petierit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudistertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum ac mulierem; et bos lapidibus obruetur, et

dominum illius occident. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit domino, bos vero lapidibus obruetur. Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam; dominus cisternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit; vendent bovem vivum, et dividunt pretium; cadaver autem mortui inter se dispertient. Sin autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri et nudistertius, et non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove et cadaver integrum accipiet<sup>1</sup>. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit? percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, venumdabitur. Si autem inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis; duplum restituet. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni aestimatione restituet. Si egressus invenerit spicas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum qui ignem succenderit. Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat furto ablata fuerint; si invenitur fur, duplum reddet: si latet, dominus domus applicabitur ad

<sup>1</sup> Exod. xxi, 12-35.

deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetranda fraudem, tam in bove quam in asino, et ove ac vestimento, et quicquid damnum inferre potest, et ad deos utriusque causa perveniet; etsi illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem et ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus; nullusque hoc viderit; iurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus iuramentum, et ille reddere non cogetur. Quod si furto sublatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestia, deferet ad eum quod occisum est, et non restituet. Qui a proximo suo quicquam horum mutuam postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non presente; reddere compelletur. Quod si in presentiarum fuit dominus, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. Si quis seduxerit virginem, necdum desponsatam, et dormierit cum ea; dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occidetur, praeter Domino soli. Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenae enim fuistis in terra Aegypti. Viduae et pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum redde ei; ipsum

enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Decimas tuas et primitias non tardabis offerre. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi<sup>1</sup>. *Et paulo post:*

Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, redde ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Non declinabis in iudicio pauperis. Mendacium fugies. Insontem et justum non occides, quia aversor impium. Ne accipias munera, quae excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti<sup>2</sup>. *Et post quaedam interposita cum de alienigenis loqueretur:*

Non adorabis deos eorum, neque coles eos. Non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum: servietisque Domino Deo vestro<sup>3</sup>. *Et post multa in eodem libro de diis gentium:* Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. Noli adorare Deum alienum; Dominus Zelotes nomen ejus, Deus est aemulator: Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne postquam ipsae fuerint fornicatae, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. Deos conflatiles non fa-

<sup>1</sup> Exod. xxii, 1-29. — <sup>2</sup> Id. xxiii, 1-9. — <sup>3</sup> Ibid. 25.

cies tibi<sup>1</sup>. *Et paulo post* : Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui<sup>2</sup>.

*Hæc de libro Legis, qui Exodus nominatur, colligenda existimavi. Nunc eodem modo inspiciamus in sequenti Levitico.*

## DE LEVITICO.

OMNIS homo, *inquit*, ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies ; turpitudinem enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia, non revelabis ; quia turpitudinem sororis patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis matris tui non discooperies ; quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis ; eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patruus tui non revelabis, nec accedas ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis ; quia uxor filii tui est ; nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis ; quia turpitudinem fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vi-

<sup>1</sup> Exod. xxiv, 13-17. — <sup>2</sup> Ibid. 25.

vente. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis foeditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus : Cum masculo non commisceberis coitu foemineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscabitur ei, quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his<sup>1</sup>. *Et post aliquantum* : Unusquisque matrem et patrem suum timeat. *Et post unum versum* :

Nolite converti ad idola, nec deos conflatile faciat vobis. Ego Dominus Deus vester. *Et post paululum* : Nec remanentes, *inquit*, spicas colliges, neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis ; sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini. Nec decipiet unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego sum Dominus. Nec facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque in mane. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum : sed timebis Dominum Deum ; quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultus potentis : juste judica proximo tuo. Non eris criminator et susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo : sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut te

<sup>1</sup> Levit. xviii, 6-24.

ipsum. Ego sum Dominus. Leges meas custodite<sup>1</sup>, *Et paulo post*:

Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia. Neque in rotundum attundebitis eam, nec radetis barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram: neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis. Ego Dominus. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. *Et post unum versum*: Ego Dominus. Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Deum tuum. Ego sum Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei: sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Nolite facere aliquid iniquum in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera; justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa iudicia, et facite ea. Ego Dominus<sup>2</sup>.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc loqueris filiis Israël: Homo de filiis Israël, et de advenis, qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum; et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quod de semine suo dederit Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, et polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit

<sup>1</sup> Levit. xix, 6-19. — <sup>2</sup> Ibid. 26-37.

hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit occidere; ponam faciem meam super hominem illum, et cognationem ejus; succidamque et ipsum et omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui. Anima quæ declinaverit ad magos et hariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum. Si mœchatus fuerit vir cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur; quia scelus operati sunt; sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coïtu scemineo, uterque operatus est nefas: morte moriantur; sanguis eorum sit super eos. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Qui cum jumento et pecore coërit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt; occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint; et portabunt iniquitatem suam. Qui coërit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, inter-

ficientur ambo de medio populi sui. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patruï vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ; portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam: turpitudinem fratris sui revelavit, absque filiis erunt<sup>1</sup>. *Et in alio loco*: Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos<sup>2</sup>. *Itemque in alio loco, cum de summo sacerdote loqueretur*:

Virginem, *inquit*, ducet uxorem: viduam et repudiatam, et sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo: ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ; quia ego Dominus qui sanctifico eum<sup>3</sup>. *Et post multa*:

Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, fiat ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. Æquum iudicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit; quia ego sum Dominus Deus vester<sup>4</sup>. *Et post aliquantum*:

<sup>1</sup> Levit. xx, 1-26. — <sup>2</sup> Ibid. 27. — <sup>3</sup> Id. xxi, 13-15. — <sup>4</sup> Id. xxiv, 15-22.

Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra; ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester<sup>1</sup>.

*Hæc de Levitico. Nunc de libro cujus nomen est Numeri, quæ visa sunt commemoranda ponemus.*

## DE NUMERIS.

HOMO cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si et fratres non habuerit, dabit hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas iis qui ei proximi sunt: eritque hoc filiis Israël sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi<sup>2</sup>. *Et post multa*:

Ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis<sup>3</sup>.

*Hæc de Numeris invenimus, quæ inspicienda putavimus. Deuteronomium deinceps considerabimus.*

## DE DEUTERONOMIO.

NULLA erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei iudicium est<sup>4</sup>. *Et plurimis interpositis, ubi Decalogum repetit*: Custodite igitur sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem mas-

<sup>1</sup> Levit. xxvi, 1. — <sup>2</sup> Num. xxvii, 8-11. — <sup>3</sup> Id. xxxi, 30, 31. — <sup>4</sup> Deut. 1, 17.